

cap. 103 Ordo questionis^{a)}).

In contrarium est quod habetur in decreto di. xxii.¹⁾: 'Christus beato Petro eterne vite clavigero terreni simul et celestis imperii iura concessit.' Item beatus Thomas de Aquino in fine secundi sententiarum²⁾ dicit: 'Dominus papa temporalis domini et spiritualis apicem tenet, illo disponente qui est sacerdos et rex, sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech et rex regum et dominus dominantium.' Circa istam questionem sic procedemus: Primo probabimus, quod imperium non fuit a deo <immediate> institutum. Secundo, quod nullus imperator hereticus vel qui adoraret ydolla fuit umquam verus imperator. Tertio ponemus tenorem donationis, quam Constantinus fecit ecclesie. Quarto ponemus, quod Constantinus nichil donavit ecclesie sed restituit. Quinto probabimus, quod papa est dominus temporalis de iure divino et per rationes naturales. Sexto ostendemus, quod papa est totaliter dominus imperii. Septimo respondebimus ad argumenta.

cap. 104 Quod imperium non est^{a)} a deo immediate.

Quod autem imperium non sit a deo <immediate>, sic ego probo et habetur supra capitulo LVII^{b)}. Ille status sive sit imperialis sive papalis aut regalis dicitur proprie a deo immediate esse^{c)}, quando ex dei providentia ipso cohoparante et aduxiliante et ex ore suo exprimente illum instituit statum, sicut patet de Adam et Saule et rege David et beato Petro apostolo; et ista dominia dicuntur esse de iure divino et continent plenam auctoritatem et totale dominium. Sed numquam invenitur in veteri testamento aut novo, quod deus imperium romanum instituerit; ergo non est a deo immediate. Et ut hoc^{d)} clarius innotescat, per singula discurremus^{e)}. Primus Romanorum imperator fuit Gaius Iulius Cesar. Hic non a deo fuit imperator institutus sed per violentiam a tumultu militari est electus, et quia introitus fuit tyrannicus, eius dominium fuit violentum, ut probat beatus Ieronimus¹⁾. Ceteri imperatores quadam naturali successione imperaverunt ut Octavianus, quia nepos ex sorore Iulii Cesaris et adoptione filius. ... In isto Nerone Iulii Cesaris familia finem habuit. Quis ergo ita insanus existit, qui dicat istos pessimos tyrannos a deo fuisse institutos? Si quis velit pertinaciter sustinere, quod imperium sit a deo — et plura dicta sanctorum patrum in diversis decretis dicere videntur —, dico quod imperium est a deo immediate in persona beati Petri, cui Christus ore suo contulit terrestris atque celestis iura imperii, ut supradictum est capitulo LVII^{f)}. Vel potest dici quod imperium romanum est a deo permissive aut ex dei dono, de quo supradictum est^{g)} capitulo LVII^{h)}, ubi dicitur quod imperium dicitur esse a deo quatuor modis. Si autem dicatur, quod Christus dixit Iudeis quod redderent Cesari Tyberio tributum, <et> ergo imperium est a deo, dicendumⁱ⁾ est^{k)}, quod istud nichil est; iam enim sequeretur, quod Iulius Cesar primus imperator aut Octavianus non fuissent veri imperatores, quia tunc¹⁾ erant mortui quando Christus dixit²⁾: 'Reddite que sunt Cesaris Cesari.' Relinquitur ergo dicendum, quod imperium est a deo permissive, quale

cap. 103 a) Ordo questionis om. W

¹⁾ D. 22 c. 1. ²⁾ II Sent., dist. 44 q. 2 a. 3 ad 4. (ed. Paris. Bd. 8, 1873, S. 594).

cap. 104 a) om. B b) LXVII BW c) esse a deo tr. W d) om. B e) dicamus B f) LXVII BW g) supra add. B h) LXVII B i) enim add. B k) om. W l) quia tunc] ipsi enim W

¹⁾ Dieses Zitat kann ich nicht verifizieren. ²⁾ Mt. 22, 21.